



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Carpvvs Ep. 26. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

26. Maii. VIÆ SANCTORVM. 263

suis impendit, ut nonnemo è sepulchro parcere eum sumptui operæque jufferit. Alteri ad mortem imparato vitæ triennium impetravit. Ne curâ corporis à Deo avocaretur, mensam illi Dominicis diebus Angelus instruxit, ceteros impransus, & incœnatus egit. Hunc tamen tam vicinum cælo avocare, ad nescio quos Pharaonis thesauros dæmon instigit. Sed ille Nilum calcare solitus, & clausis foribus, quoquò libuisset, penetrare, viam denique etiam ad Cælites reperit, violentus scilicet homo, arque uti olim ædibus, ita cælo quoque vim facturus, nisi spontè patuisset. *Ex vit. PP.*

*Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum premia divina desperet: novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum. S. Aug. ps. 50.*

S. CARPVS EP. 26. Maii.

**N**on est cor li Deo rigida pietas, & justitia misericordiæ oleo non temperata. Id CARPVS te docebit, qui à Paulo Apostolo Christianâ Philosophiâ imbutus, hujus tam præclari & necessarij axiomatis aliquando visus est oblivisci. Compererat Christianæ militiæ tyronem, ad deferenda crucis signa, à dæmonis cultore esse inductum, quâ injuriâ ad Deum Opt. Max. pertinente, ita est exacerbatus, ut impia ex æquo capita Orco devoverit, quòd mediocri supplicio nullo vindicari posse scelus manifestarium & ultimæ perfidiæ persuasum haberet: & verò gestiebat animo, cum dehiscente sub utriusque pedibus terrâ, inferni ignis fumum ferri in ora, ipsosque stantes in præcipitio similes ruituris aspiceret, impulsurus etiam, si copia fuisset. Subinde etiam aperiri cælum,

lum,

lum, & Servator generis humani offerre se conspicuum, horrorique CARPVM, si ita ei videretur, ageret miseros illos præcipites, pro quibus ipse sanguinem suum fudisset. Sibi quidem tanto pretio assertos in libertatem, certum esse non desere, & porrigere manum velle perituris: quin aded, si necesse foret, non detrectaturum redire ad initium miseriarum, quibus in Cruce moriens finem imposuisset. Plura dici necesse non fuit. Tam mellea verba CARPO bilem absterferunt: & nimirum hodie quoque animorum æstus & inconsulta odia defervescerent, si in sanguine Christi intingerentur. *Ex Dion. Areop. in Patric.*

*Par est, ut quisque nostrum non minus gratias agat Christo, quam si ob ipsum solum advenisset; neque enim recusaturus erat vel ob unum solum tantam exhibere misericordiam; aded singulos homines pari charitatis mensurâ diligit, quâ diligit orbem universum. S. Chryf. in c. 2. ad Galat.*

## S. RESTITVTA V. M. 27. Maii.

**R**OMÆ nata RESTITVTA, denata Soræ nobilissimâ morte illustravit. Nubilis domi tamen clausa egit, & formam, quâ passivi ventus nobilis deperibat, velut ignem custodit, non jam Vestæ, sed Christi virgo. Hujus illa vni thalamum suspirabat, & aliter etiam nuptæ nomen refugebat. Interea invidit DEO sponsam suam, ut solet, orcus, adfuitque minas spirans & ignes. At RESTITVTA nuper jam boni Angeli aspectu exhilarata, risit rivalem deformem, & tam formidandum monstrum in fugam puella egit. Secundum hæc, Christo auctore, ædibus paternis excessit virgo Soram abitura, nec tamen sine co-